





18  
10. CHRIST. ESCHENBACH,  
I. V. D. ET P. P. O.  
ACADEMIAE RECTOR,

FESTVM 1784, 2.  
NATIVITATIS  
IESV CHRISTI  
PRO MORE INDICIT.

245 p  
SIMVLQVE  
DE DEFENSIONE  
PRO  
AVERTENDA CONFRONTATIONE  
DISSERIT.



ROSTOCHII,  
LITTERIS ADLERIANIS.

IO. CHRIST. ESCHELBACH

1742. 15. 10.

SCHEIBNERIA ALTEIS

TESTAMENTUM

NATIVITATIS

IESI CHRISTI

PRO MGEN INSTITUT

EDIMBURGAE

DE DEFENSIONE

PRO

VERENDA CONFRONTATIONE

DISCUSSIONE

ALBERTI SCHEIBNERI






Redeuntibus iterum diebus festis, quos ecclesia Christianorum memoriae SALVATORIS NOSTRI sacros esse iussit, munieris ratio postulat, ut vos, Ciues Academic O. O. H., ad tempus hoc solenne, beneficiorum ab auctore salutis nostrae in nos collatorum memores, pia grataque mente transfigendum adhorter. Equidem persuasus sum, vel me non monente, quemvis SVMMO NVMINI debitas grates persoluturum esse, quoties commoda secum perpendit, quibus REDEMTORIS NOSTRI ope compotes facti sumus: ne interim officio meo deesse videar, vobis quoque ferias has ea, quae Christianum decet, deuotione celebrandas commendabo.

P. P. d. 24. DECEMBER. 1784.



A 2

DE



DE DEFENSIONE  
PRO AVERTENDA CONFRONTATIONE  
COMMENTATIO.

§. I.



Variae sunt I<sup>C</sup>torum de utilitate et fauore de-  
fensionum in causis criminalibus senten-  
tiae. Non desunt, qui easdem non modo  
absolute necessarias existimant, sed etiam  
tanto fauore dignas iudicant, vt in iis  
complura singularia nec legibus nec analogiae iuris omnino  
congruentia admittant. Alii contra indignantes conquerun-  
tur, defensores inquisitorum semper fere futilea argumenta  
proponere, et nonnisi in eo occupari, vt facinorosum pro-  
meritae

50

meritae subtrahant poenae; hinc iudicem tantum defatigare, processum protelare, securitati publicae nocere, et saepius reo aufugiendi occasionem hisce litis ambagibus procurare; ut adeo mirum haud sit, LEYSERVVM in Medit. ad Pand. sat prolixum Spec. 562. de odio defensionis proposuisse. Quod in pluribus aliis controvrsiis ita se habet, in hac quoque statuendum videtur: recta scilicet tantum via incedere, qui intermedium eligunt, et vtrumque extreum eitant. Facilius enim largior, complura defensionum exempla in foro occurtere, quae probari non possunt: sed omnes ad hanc classem pertinere, adeoque reiiciendas esse, nemo vñquam demonstrabit. Et quum in causa civili nemini defensio denegetur, in criminali tanto magis concedenda erit, quum de fama et vita hominis agatur \*): quamuis pariter in dubium vocari nequeat, eam defensionem, quae nec innocentiam rei probat, nec mitigandae poenae argumenta exhibet, nec carceris, inquisitionis, et torturae incommoda auertit, omni penitus vsu carere.

\* Obiciunt quidem vulgo, iudicem obligari, vt momenta defensionis ipse inuefiget, et pronunciando attendat: ast nisi simul afferere audeas, nullum iudicem aut imperitum esse aut negligenter, argumentum claudicat. Quin, licet et peritissimum et solerterissimum iudicem supponas, fieri tamen potest, vt desensori facti circumstantiae innocentiant, aut alia defensionis argumenta obueniant, quae vel iudicem plane fugiebant, vel ad rem pertinere haud videbantur: adeoque in casu dubio defensionem admittere satius erit.

## §. 2.

Defensionibus istis superfluis et inutilibus annumerare defensionem pro auertenda confrontatione nullus dubito. Me quidem haud latet, aliter sentire ICtos in iure criminali celeberrimos, ex quibus KOCHIVM in *instit. iur. crim. §. 851.* LVDOVICI in *der Einl. zum peinl. Processe, Cap. VII. §. 3.* MEISTERVM in *princ. iur. crim. §. 695. 699.* QVISTORPIVM in *den Grundsätzen des peinl. Rechts §. 715.* ENGAVIVM in *elem. iur. crim. Lib. II. §. 206.* BOEHMERVM in *elem. iurispr. crim. Seet. I. §. 223.* atque in *Obs. ad Carpz. Qu. 114. Obs. 10.* et PÜTTMANNVM in *elem. iur. crim. §. 830.* nominasse sufficiet. Nec insicari possum, me libros huc pertinentes euol- uendo neminem inuenisse, qui contrariam sententiam di- ferte propugnauerit: licet plures sint, qui huius defensionis nullam penitus mentionem faciant, quorsum inter alios refe- rendi GVAZZINI in *tract. ad defens. inquis.* (conf. def. 20. cap. 19. 20. 21.) GRANZIVS in *def. inquisit.* (conf. Cap. I. membr. I. nr. 30. et Cap. V. membr. II. nr. 469. sqq.) HEIL in *iud. et defens. in proc. inquis.* CARPZOIVS in *prost. crim.* (conf. qu. 114. nr. 75. sqq. qu. 115. nr. 21. sqq.) BERGER in *elect. iurispr. crim.* KRESS in *comm. ad C. C. C.* TABOR in *tract. de confrontatione,* aliisque. Ipsum LEYSERVUM, Sp. 560. m. 33. cuncta, quae confrontationem concernunt, libero iudicis arbitrio relinquentem in partes meas vocare nequoc. Verum enim vero, vbi nec leges nec rationes idoneae adstipulantur, spredo auctoritatis praecindicio aliam amplecti sen- tentiam liceat.


§. 3.

§. 3.

Quum tota doctrina de confrontatione legibus scriptis  
haud innitatur, sed iure consuetudinario introducta sit, ar-  
gumenta directe ex ipsis legibus hausta in utraque parte defi-  
cere liquer: recurrere itaque oportet ad principia generaliora,  
ut veritatem asserti ostendam. Hocque perfecisse mihi per-  
suadeo, si demonstrem I. hanc defensionem ex incongrua  
ratione introductam esse, II. eandem, si effectum confron-  
tationis spectes, aut inquisito nihil quidquam proficere, aut  
fini inquisitionis e diametro aduersari, atque III. vix dari  
argumenta defensori sententiam victricem promittentia,

§. 4.

Ratio, quae huic defensioni primum occasionem dedit,  
sine dubio in eo quaerenda, quod confrontationem inqui-  
siti famam fugillare crediderunt iuris criminalis interpretes.  
Vanam quidem esse hanc opinionem, iam monuit **LVDOVICI**  
et post eum nuper **PÜTTMANNVS** ll. cc., alii tamen aliter  
ad huc arbitrantur. Quodsi confrontationem reuera infamia  
comitaretur, et ego hanc defensionem pronus admitterem;  
sed si opinionem vulgi, de quolibet, qui delicti arguitur,  
sinistre iudicantis demas, nihil plane, quod infamiae speciem  
habet, ex confrontatione quomodounque deriuari potest;  
recteque potius asseritur, famam confronrandi, dummodo  
consequa illa culpa fuerit, haud imminui, quum leges nostrae  
infamiam nonnisi delicti maioris aut turpitudinis sequelam-  
esse



esse velint \*). Quin hanc rationem frustra allegant, qui eundem effectum responsioni ad articulos, confrontationem praecedenti \*\*), tribuunt: existimatione enim hominis iam laesa, eius vltior vix habetur ratio.

Addunt vulgo, confrontationem esse actum praeiudiciale, odiosum et speciem suggestionis continentem, item remedium extraordinarium, adeoque nonnisi caute adhiberi posse, TABOR l. c. diff. II, §. 32. MEVIVS Part. III. dec. 73. n. 4. verum et haec parum concludunt. Qui imminutionem famae cum confrontatione coniunctam credunt, non possunt non, quin eam inquisito praeiudicium inferre et odiosam esse contendant: repudiato autem principio consectaria haec quoque evanescunt. Suggestiones illicitas in confrontatione aequae ac in examine ad articulos locum inuenire posse, negare non audeo, licet eas in ista rarius adesse credam: sed inde tantum consequitur, abstinentendum esse ab iis in actu confrontationis; nec defensionis, de qua agitur, scopus est, vt eiusmodi suggestiones euitentur, sed potius, vt ipsa confrontatio omitatur. Quod si illas a confrontatione inseparabiles habeas, omnis potius confrontatio reiicienda foret. Porro remedium quidem extraordinarium appellari poterit: sed vaga haec et ambigua loquutio iustum argumentum haud suppeditat.

¶ Addiiciunt adhuc, confrontationem cum socio criminis eum in finem decerni, vt alter, ob crimen iam confessum infamis, partem reatus in alterum transferat: et si inquisitus cum teste confrontetur, illum non tam suspectum quam con-

9

uictum criminis, cuius arguitur, videri; QVISTOR PIVS  
l. c. Sed et his adstipulari non possum. Confronta-  
tionis vaicus est scopus, ut, si fieri potest, diuersitas  
depositionum super facto, a quo decisio caussae quodam-  
modo depender, tollatur, et, quisnam verum dixerit, ap-  
pareat: ac licet iudicis sit, in facinorosos omni studio inqui-  
rere, non minus tamen obligatur, omnem diligentiam adhi-  
bere, ut innocentii pariter praesidium praefter. Hunc finem  
assequi cupit iudex, siue cum socio criminis siue cum teste in-  
quisitum confrontet: et posteriori causa luculentum potius te-  
timoniunm praebet, inquisitum nondum plenarie conuictum  
esse; cui enim usui confrontatio foret in delinquente cri-  
minis iam conuictus?

\* Confundunt effectum inquisitionis specialis aut confrontatio-  
nis et effectum criminis, quod quis in examinac vel compo-  
sitione confiteretur, qui dispendium famae, ex crimen oriu-  
dam, pro consecratio inquisitionis reputant. Quum nec  
semper inquisitus delictum quoddam fateatur, nec omne de-  
lictum ita comparatum sit, ut existimationis iactura puniatur,  
egregie fallitur, qui a quibusdam speciebus ad omnes argumen-  
tum ducere non haefstat.

\*\*) A scopo meo alienum est, ea immiscere, que non tam ad  
explicandam thesin propositam, quam ad doctrinam de con-  
frontatione in genere pertinent: breviter interim quæflio at-  
tingenda est: quonam tempore confrontatio institui possit?  
quum decisionis argumenta suppeditet. Communiter fla-  
tuunt, eam nonnisi peracto examine inquisiti articulato et re-  
futauit, eam nonnisi locum inuenire, QVISTOR P. l. c. §. 717, cui  
seuentiae et ego accedere non ambigo. Antequam enim  
testis iurecurando obstrictus est, fides eius vacillat. Nee

B

desunt

◆◆◆◆◆

desunt exempla, vbi testimoniū depositio in examine sollempni ab ea, quae in examine summario facta erat, magnopere differt, ut iam animaduerit L V D O V I C I l. c. §. 9. Eadem differentia saepius se exserit in examine inquisitiū summario et articulato; et raro accidit, vt responsione rei ad articulos nondum facta, index sufficiēti omnium circumstantiarum cognitione, qua sine confrontatio vsum vix praefstat, institutus sit. Dissentunt quidem F Ü T T M A N N V S l. c. §. 817. et C L A P R O T H in der Einl. in summl. summar. Processe Peint. Proc. 2 Gründr. Nr. 8.: sed prior nec asserti rationem ipse addit, nec, quae in contrarium adducuntur, refutauit: et quod ab altero in medium profertur argumentum, das die Confrontation kein förmlicher Beweis, sondern nur ein Versuch die Wahrlheit herauszubringen sey, rem haud conficit, quum nec index sub praetextu, se inuestigandae veritatis periculum facere, ordinem processus criminalis turbare poslit, nec quidnam commodi ex hac immutatione consueti modi procedendi spēretur, appareat.

Neque excipiendum esse casum existimo, si vulnerati mors metuatur, quem praeēunte K E Y S E R O in prax. crim. Cap. VI. §. 4. plures a regula recedere tradunt. Vix enim a moribundo expectari potest, vt in articulo mortis constitutus, quarumvis facti circumstantiarum adeo exacte adhuc recordetur, vt vulneratorem mendacii convincere valeat: et licet animi adhuc compos deprehendatur, confrontatio tamen sine magna mentis agitatione peragi nequit, ideoque et aegroto damnum inferet, et inquisito exceptionem suppedebat, hanc animi conturbationem mortis caussam fuisse.

### §. 5.

Inutilem esse hanc defensionem, aut saltim fini inquisitionis contraria, quin hoc casu ipsi inquisito nocuam, ex effectu confrontationis, quam auertere studet, facile dedu-

deducitur. Triplex hic esse potest: aut enim uterque tam confrontandus, quam is, quocum confrontatur, in priori asserto persistunt, nec diuersitas, quae aderat, tollitur: aut is, cuius ope confrontatio instituitur, a priori sententia recedit; aut denique ipsi inquisito fatendum est, se antea mentitum esse. Primo casu nulla defensione opus est, quum confrontatio inquisito nihil praejudicium afferat, et testi maior fides tribui nequeat, qui, quae antea sub fide iuramenti iam affirmauerat, praefente inquisito repetit. In casu secundo itidem inquisitus, cui potius haec complicis vel testis variatio prodest, confrontationem effugiendi causam non habet. Restat itaque tertius casus, quo inquisitus, mendacii conscientia, veretur, ne in actu confrontationis fraus detegatur: ast nisi omnem confrontationis et inquisitionis finem euertere velis, defensio non admittenda est, directe eo tendens, ut veritatem diffiteri liceat.

Quumque evidenter constet, inquisitum hoc ultimam tantum casu defensionem postulaturum, nec duobus reliquis praeter necessitatem incommoda carceris et sumptus inquisitionis ampliaturum esse, in eo quoque inquisito nocebit, quod semper nouum malae causae indicium praebeat.

### §. 6.

Supereft, ut adhuc argumenta trutinemus, quibus defensor uti potest. Cuncta, quae hanc in rem ab aliis suppedata deprehendi, eo redeunt: 1) iustum non adesse confrontationis




tationis caussam, 2) indicia idonea deficerē, 3) semiplenam non adesse probationem, 4) delictum ad leuiora pertinere, 5) testes inhabilitate plenaria laborare, 6) nexus reuerentiae inter confrontandos intercedere, et 7) nobilitatem vel dignitatem a confrontatione excusare. TABOR diff. IV. et V. MEISTER §. 699. KOCH §. 851. Sed haec omnia solidō fundamento destituuntur: nec iūstam defensionis caussam continent.

Largior equidem 1) confrontationem locum non inuenire; nisi iusta eius caussa adsit, diuersitas scilicet, obstatuam quam vocant, in articulo, a quo decisio caussae vel in totum vel in tantum p̄endet, et indicem inutilem laborem suscipere, si his non consideratis ad confrontationem prouolat. Sed defensione peculiari hoc casu opus haud est: ipsa confrontatio omni defensione melius et citius speciem diuersitatibus, quae iudicii adesse videbatur, auferet: et licet circumstantia facti, quam iudex confrontando extra dubitationis aleam ponere cupiebat, postea ad decisionem caussae non pertinere iudicetur, inquisito quoque praediudicium haud exoritur, quod defensione interposita declinari deberet. 2) Qui indicia specialia ad confrontationem decernendam requirunt, haec indicia indicare, et, quare eas necessarias existimant, exponere neglexerunt. Quodsi confrontatio post absolutum examen ad articulos suscipitur, vltiori disquisitione indiciorum haud indiget: quae enim ad inquisitionem specialiē sufficiunt, in confrontatione, quae illius pars est, maiora aut alia requiri, nemo euincet

euincer. Nulla quoque alia subest caussa, ob quam confrontationem sine indicis decretam improbent, quam quod illam famosam credant: hanc vero fallere, supra iam motui. 3) Eadem opinio, me quidem iudice, semiplenam probationem, nescio, num delicti ipsius, an circumstantiae, quae obiectum confrontationis est, inter requisita collocavit: neminemque itaque commouebit, nisi eum, qui famam confrontandi minui adhuc sibi persuasum habet. Pariter 4) delicti levitas inter argumenta defensionis numerari nequit, simulac conceditur, confrontationem existimationi innocuam esse. 5) Disputationes de habilitate testium omnes cessant, si confrontatio demum post examen testium sollempne instituitur: qui enim ad probandum admittitur, in confrontatione repellri nequit; licet, qui antea non omni exceptioni maior erat, nec in confrontatione maiorem fidem mereatur. Qui ex exceptione inhabilitatis testium commodum sperat, hanc testibus, antequam iurato examinentur, opponat. 6) Eadem obtinent principia in confrontatione inquisiti et testium, si nexus reverentialis obiicitur: in correis autem, cur hic nexus attendi possit et debeat, ratio me fugit: vnde et ab aliis confrontatio parentum cum liberis recte conceditur, LUDOVICI §. 12. KOCH §. 847. 7) Privilium personarum nobilitate aut dignitate conspicuarum nec ex lege nec ex alio idoneo principio deriuari potest: adeoque a plurimis recte omittitur.

### §. 7.



## §. 7.

Iam arbitrio tuo L. B. relinquō, num defensionem istam adhuc admittendam censeas, quae, praeſertim transmissione actorum interueniente, processum inquisitionis per aliquot menses protrahit, et, si inquisiti facultates haud suppetant, fruſtra iudicem expensis onerat. Ipſe yſus fori, qui confronationis vnicum fundaſtum eſt, hanc defensionem improbare videtur: nunquam enim mihi in actis criminalibus exemplum eiusmodi defensionis obueniſſe memini.







ULB Halle  
004 517 601

3



f

TA → OL

nur 1+8 verknüpft



B.I.G.



IO. CHRIST. ESCHENBACH,  
I. V. D. ET P. P. O.  
ACADEMIAE RECTOR,

FESTVM  
NATIVITATIS  
IESV CHRISTI  
PRO MORE INDICIT.

SIMVLQVE  
DE DEFENSIONE  
PRO  
AVERTENDA CONFRONTATIONE  
DISSERIT.



ROSTOCHII,  
LITTERIS ADLERIANIS.

